

1171 grato memorique in socios animo esse, Veneti brevi inteligerent. Satis quidem movit civitatem tanti Principis pollicitatio: sed plus omnino veterum suorum in ipsum imperium beneficiorum memoria: qua freti, priore decreto sublato, fit potestas omnibus in Græciam navigandi. Ingens vis navium quæstus cupiditate ad ea exierunt negotia, sequentibus duobus legatis, spe renovandæ amicitia missis, Sebastiano Ciano, & Aureo Mastropetro: qui vix Constantinopolim appulerant, quum Emanuel die ad id facinus constituto, toto imperio Venetos cum navibus ac mercibus oppressit: ac tam diu donec aliud fieri vellet, in custodia eos haberi mandavit: pecunias vero & res omnes in publicum redigi. Legati novitate rei territi (nam ipsi jure gentium violari non poterant) non multo post Byzantio profecti, Italiam versus cursum tenuerunt. Ante legatorum redditum nonnulli, qui in ipso tumultu & trepidatione, deductis in altum navibus, fugam præoccuparant, Venetias nunciant, Emanuelis perfidia omnes suos, præter paucos, cum navibus & preciosa merce circa Græciæ portus & emporia interceptos. Defixit rei atrocitas civitatis animum: sed recordata, nihil solere mortalibus minus inultum esse, quam perfidiam, ad ulciscendam injuriam conversa, validissimam continuo decernit classem. Centum longæ naves intra totidem dies miro studio constructæ dicuntur: viginti onerariæ his additæ: revocatis per edictum omnibus, qui negotiorum causa foris essent, ut ante Cal. Septembris adefissent. Ex Histria quoque & Dalmatia supplemento accepto, classe in altum deducta, Michael clasi præterat: Tragurium primo vi capit, captumque funditus evertit. Quod ipsum arguit, voluntariam fuisse defectionem illam ad Græcos factam, & non ditionem vi Dalmatis expressam. Ragusium quoque receptum; parte murorum, qua mari alluitur, cum turri, in qua fixa fuerant Imperatoris signa, demolitus est. His in Dalmatia gestis, prospera navigatione in Eubœam delatus, quum se ad urbium oppugnationem Michael expediret: quanquam valido inita essent oppida præsidio, perculsus tam numerofæ

*Negotiator  
res Veneti  
contra da  
tam fidem  
oppressi.*

1172

*Classis va  
lidissima in  
eum instrui  
tur.*